



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Jupiter & Apis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

JUPITER ET APIS.

Apis obtulisse Jovi favum mellis dicitur. Quis offerentis fuerit animus, non satis liquet. At rarò magnis Regibus munus obtigit ex-pers sperati scenoris. Admovit orì dulce munus Jupiter; & laudatâ volucris solertiâ; age, inquit, quid vis ut ego rependam tibi? Hic Apis diffimulans, quos tacita meditatur, dolos; non me, inquit, hominum ac Divûm pater, avara sollicitat fames, aut non contenta sorte, quam tu dedisti, majus optârim bonum. Sed gens mortalium avida, per summum nefas, nostras in dapes involat, & quas paramus mensis atque aris Deûm, furatur ac perdit opes. Ergo si labores nostros bonus respicis, si nostra magno munera non sordent Jovi, da vindicare posse prædones malos, & hosti, quisquis ille sit, lethalibus inferre jaculis plagam insanabilem. Votum improbavit Jupiter & injustas preces. Quin & malignum volucris ingenium increpans: Tibi certa mors est, inquit, si quem læseris, & vulnere in ipso protinus pones animam.

EPIMYTHION.

Virus malignum sæpè sub donis latet.

LEÆNÆ EXEQUIÆ.

Concesserat è vivis metuendi totâ in viciniâ Leonis conjux. Protinus planctu lugubri nemus latè consonat, & omnes veniunt

Q4

luctûs